



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 1. Explicatur interdicti minister illiusque subiectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

& à fortiori generali personali ex Textu in cap. si sententia de sententia excommunicati in 6. Et tradit plures referens Sayrus lib. 4. thesauri, cap. 4. à num. 11. Nominatim verò interdicti censentur qui sic post incursionem interdicti declarati & publicari fuerint nomine proprio, seu talibus circumstantiis quae personam demoustrant. Argum. cap. licet ex quadam. Et ibi Glossa, verbo demonstratio de Testibus, & attestationib. Et cap. uia nos, & ibi Glossa, verbo aquipollentibus de consang. & affinit.

PUNCTUM III.

De causis Interdicti.

Quatuor causae concurrere possunt ad Interdictum contrahendum. Efficiens est qui Interdictum profert, materialis qui Interdicto subiicitur, formalis est modus, & forma ferenda in illius prolatione, finalis est causa ob quam interdictum latum est.

§. I.

Explicatur Interdicti minister, illiusque subiectum.

- 1 Interdictum ferens iurisdictionem in foro contentioso habere debet.
- 2 Episcopus absque consensu capituli, sententiam Interdicti ferre potest, consuetudine spectata.
- 3 Capitulum Sede vacante interdicere potest medio Vicario à se electo.
- 4 Praelati religiosorum spectant à consuetudine Interdictum saltem locale ferre non possunt.
- 5 Praedicti si excommunicati, suspensi denunciati sint, nequeunt sententiam Interdicti valide ferre, secus si non sint denunciati.
- 6 Interdicti possunt personaliter omnes etiam quatenus communitatem componunt.
- 7 Interdictum locale si directè feratur, semper locus interdictus subiectus esse debet interdicenti.

Regula est ab omnibus Doctoribus recepta, ministri seu causam efficientem Interdicti esse qui iurisdictionem in foro contentioso habet, & regulariter qui sententiam excommunicationis, & suspensionis ferre potest, poterit interdicare. Vti sunt Pontifex, Legatus, Nuntius, delegatus, subdelegatus, Episcopus non conlectarius & Capitulum Sedè vacante, & quicumque alij qui iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, & loca exercent, poterunt sibi subditos interdicto supponere. Argum. cap. cum inter, de consuetud. Cap. cum ab Eclesiastico de officio delegati. Et tradunt communiter Doctores, vt videre est in Paludan. in 4. d. 18. q. 8. in art. 4. princip. Syl. verb. interdictum 3. Nauarr. c. 2. 7. n. 2. 6. 4. Henric. lib. 1. c. 5. 1. Sayr. lib. 5. cap. 10. à n. 13. Suar. de consuetud. disp. 3. 6. sect. 1. & seqq.

Quadruplici Praelato est difficultas qualiter interdicare possint. Primò de Episcopo, & à fortiori de quolibet alio Praelato sub se capitulum habente, an absque illius consensu sententiam Interdicti ferre possit? Ratio dubitandi desumitur ex cap. 1. de excessib. praelator. vbi Pontifex prohibet, ne Clericos sine iudicio Capituli Episcopus suspendat, aut eorum Ecclesias Interdicto subiiciat: fauet cap. nouit. Cap. quantum de his quae sunt à Praelato sine consensu Capituli. Et cap. cum in similib. de his quae sunt à maiori parte Capituli. Quos Textus variè explicant Doctores. Nam alij intelligunt de Interdicto in perpetuum, seu ad longum tempus ferendo. Alij de Interdicto pro clericorum correctione lato. Alij de Interdicto lato ex officio, & ad nullius instantiam, vt refert Sayrus lib. 5. thesauri, cap. 10. à num. 19. sed dicendum est spectato iuris rigore, neq. Episcopum, neque Praelatum alium Capitulum habentem interdicare clericos posse absque Capituli consensu, bene tamen laicos; at spectata consuetudine & laicos, & Clericos interdicare posse: sic tradit Calderin. tract. de Interdicto memb. 3. num. 54. Glossa in dicto cap. 1. verbo capituli de excessib. praelator. & ibi Pasornit. Vgolin. de consuetud. c. cap. 1. §. 1. Sayr. lib. 5. cap. 10. num. 20. Suar. disp. 3. 6. sect. 1. n. 6. Secundo de capitulo & quidem vacante sede conueniunt ferè omnes Doctores interdicare posse medio Vicario à se electo, iuxta Conc. Trident. sess. 24. cap. 16. de reformat. At Sede non vacante, nequaquam iure ordinario potest iuxta Textum in cap. quatuor, de his quae sunt à maiore parte Capituli. Ex privilegio Sedis Apostolicæ aliquando Capitulum independentè ab Episcopo sententiam Interdicti ferre poterit: sicut notat Sayrus lib. 5. thesauri, cap. 10. n. 23. Deinde ex consuetudine, & praescriptione hanc potestatem Capitulum aliquando obtinet, iuxta cap. cum inter de consuetud. Et tradit Couarru. cap. alma mater 2. p. §. 2. num. 6. Henric. lib. 1. c. 5. 1. num. 2. Sayrus dicto lib. 5. cap. 10. n. 23. Auila §. p. disp. 2. dub. 1. Suar. disp. 3. 6. sect. 1. num. 5.

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Pars V L

Tertio, de Praelatis Religiosorum, an inquam Interdicti sententiam tum in Religiosis sibi subditos, tum in loca suae iurisdictioni subiecta, ferre possint? Qua in re est Spectato iuris rigore dicendum est, Interdictum tam in personas, quam in loca sibi subiecta ferre posse, at consuetudine praescriptum est hanc sibi ademptam esse potestatem, saltem quoad Interdictum locale, nisi fortè in plebem iurisdictionem habeant. Sicuti tradit Henric. lib. 13. cap. 24. num. 3. & cap. 51. num. 1. Sayrus lib. 5. cap. 10. num. 22. Suar. disp. 3. 6. sect. 1. n. 2. Filiuc. tract. 18. cap. 1. quest. 7. Bonac. disp. 5. p. m. 1. num. 2. Layman. lib. 1. sum. tract. 5. p. 4. cap. 4. num. 1. Gaspar Hurtado de interdicto difficult. 14. initio. Quinimo Sayrus, & Henric. locis allegatis censent hos Praelatos religiosorum iurisdictionem tantum in Religiosis habentes, etiam possint sibi subditos partiali Interdicto ligare, nempe Interdicto ab audiendis diuinis, vel confessionibus excipiendis, non tamen posse eos absoluto Interdicto ligare, quod tamen non censet verum, neque alij Doctores admittunt, qui negata potestate apponendi Interdictum locale, personale concedunt.

Quoad de supradictis si excommunicati, suspensi, vel interdicti existant. Et quidem si sint excommunicati, & suspensi denunciati, communis est omnium sententia nec licitè, nec validè sententiam Interdicti ferre posse, quia priuantur iurisdictione ad illud munus obeundum requisita. At si denunciati non sint, etiam aliqui fati probabiliter existiment inualidè iurisdictionem coactivam exercere, probabilius oppositum docui hoc praesenti tract. disp. 2. de excommunicat. punct. 12. n. 6. Interdicti verò siue denunciati sint siue non, impediuntur à sententia Interdicti ferenda, quia Interdictum non iurisdictione, sed participatione diuinorum priuat. Vti tradit Auila §. p. disp. 2. dub. 3. concl. 1. & 2. Gaspar Hurtado tract. de interdict. diff. 14. num. 43.

Quoad causam materialem, seu subiectivam Interdicti, hoc est quoad eos qui interdicti possunt, certum est personale Interdictum non solum in singulares personas quae tales sunt, sed in ipsas quatenus communitatem aliquam componunt, ferri posse; in quo maximè Interdictum ab excommunicatione differt, quae nunquam in communitatem feritur. Vti habetur cap. R. emanat. §. in vniuersitate, & cap. sententia de sentent. excommunicat. in 6. Et notauit Paludan. in 4. d. 18. q. 2. princip. in quatuor. 2. art. 3. Henric. lib. 13. cap. 25. num. 4. & cap. 50. num. 1. Sayr. lib. 5. thesauri, cap. 10. n. 7. Oportet autem vt persona interdicenda subiecta interdicenti sit, alias eius praecipitis, & sententiis ligari non poterit. Item debet esse rationis compos, alias incapax est praecipiti, & poenae praecipito annexae, vt bene tradit Syluest. verbo interdictum 2. n. 17. Couarru. cap. alma mater 2. p. §. 4. m. 5. Henric. lib. 13. cap. 42. n. 3. Sayr. lib. 5. thesauri, cap. 10. num. 6.

Interdictum verò locale si directè feratur, semper locus interdictus subiectus esse debet interdicenti, & sub illius iurisdictione. At saepe contingit locum à iurisdictione interdicentis exemptum indirectè interdici, ne Interdictum à iudice positum enervetur, quod verum est in generali Interdicto locali. Argum. cap. si ciuitas. Cap. si sententia de sentent. excomm. Et diximus supra.

§. II.

De causa formali & finali Interdicti, seu de forma ferendi Interdictum, & sine ob quem ferri potest.

- 1 Interdictum feritur in punitionem, & emendationem culpa commissae.
- 2 Culpa ob quam Interdictum generale ferendum est, mortalis esse debet.
- 3 Interdictum generale personale, & locale etiam speciale nunquam ferri potest ob culpam alicuius priuati.
- 4 Pro delicto à communitate commissio in retinendo aere alieno, Interdictum locale generale ferri non potest.
- 5 Interdictum verò locale speciale ferri potest.
- 6 Interdictum personale generale verius censet ob retentionem aeris alieni imponi non posse.
- 7 Interdictum personale speciale nunquam ob culpam alienam ferri potest.
- 8 Aliquibus placet ob culpam venialem speciale personale Interdictum ferri posse.
- 9 Verius est oppositum, nisi Interdictum parziale, & ad breue tempus imponatur.
- 10 Nulla est forma praescripta interdicti impositione.

Causa finalis, seu propter quam Interdictum feritur, est culpa commissae emendatio, seu punitio. Etiam Interdictum tum ad emendandum delictum, tum ad illud puniendum solet iniungi. Nunquam tamen generale Interdictum siue personale, siue locale iniungitur ob punitionem tantum peccati praeteriti, imò neque Interdictum

P 3 locale